

- est de Jure communi, pertinere ad Episcopum: ac notat Glossa in c. Quamquam. 18. §. Devolvitur. de Election. in 6. Abbas c. Cum ex injuncto. n. 2. de Hereticis. & c. Cum Ecclesia Vaherana n. 8. de Election. Jo. de Selva Tom. 15. Tractatum. tract. de Beneficiis, part. 2. quest. 22. n. 1. & 41. & Garcias part. 5. de Benefic. cap. 1. n. 235. cum aliis.
- 178 Hinc tamen oportet excipere Beneficia Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiarum, quæ spectant Jure communi sunt electiva; sique non per collationem, aut aliam provisionem Episcopi, sed duntaxat per canonicam electionem obtineri possunt: ut cap. 1. de Election. & c. Quia propter. 42. eod. cum similibus. Idem dicendum de Abbatibus, juxta can. Congregatio. 16. q. 7. & c. Ne pro defectu. 41. de Election. Tacentur nonnulla alia Beneficia, quorum collatio an Jure communi pertineat ad Episcopum, fusc disputant Authores proxime allegati.
- 179 Queritur II. Utrum Capitulum Sede vacante possit conferre Beneficia? Resp. I. Capitulum vacante Sede Episcopali, non potest conferre Beneficia libera, quorum collatio ad solum Episcopum pertinet. Ita communis; etque clarè decilum in c. Illa. 2. Ne Sede vacante & c. Ubi ejusmodi collatio beneficii, Sede vacante per Capitulum facta, reprobatur, atque irrita declaratur, eà additâ ratione: Cum nusquam inveniatur cautum in Jure, quòd Capitulum vacante Sede, fungatur vice Episcopi in collationibus Præbendarum & c. Concordat cap. 1. de Institut. in 6. expressis verbis pronuncians, quòd Capitulum Sede vacante Beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit.
- 180 Nec immerito sic statutum fuit: Siquidem collatio Beneficii Ecclesiastici est quædam liberalitas, & donatio, c. Relatum. 9. h. t. & cap. ult. de Offic. Vicarii in 6. & c. Cum accessissent. 8. de Constitut. ubi: Ad manus nostras illius personatus esset donatio devoluta: juncto c. De multa. 28. §. Is quoque. h. t. & cap. un. §. Porro cum donatio. Ut Ecclesiastica beneficia & c. Atqui donare de bonis, & juribus Episcopo competentibus, non potest Capitulum Sede vacante; sed tenetur illa Episcopo successori fideliter reservare, can. Hæc hujus placiti. 12. q. 2. & c. Cum vos. 4. de Offic. Ordinar. & c. Quia sepè. 40. de Election. in 6. & Clem. Statutum. 7. eod. cum similibus.
- 181 Atque eadem de causâ non succedit Capitulum Sede vacante in præsentatione, seu electione ad beneficia, ubi præsentatio, sive electio pertinet ad Episcopum: ac proinde illud non potest præsentare ad talia beneficia, quando jus præsentandi pertinet ad Episcopum, dum vivit. Glossa in Clem. un. §. Conferantur. de Rerum permutat. Joan. Andreas cap. un. n. 2. de Majorit. & obed. in 6. Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Devolutionibus. num. 70. Azorius part. 2. lib. 3. cap. 38. q. 10. Garcias part. 5. de Benefic. cap. 7. num. 52. & alii. Nam verbum Collatio, comprehendit etiam Præsentationem, juxta Glossam lo. cit. & aliam Glossam c. Eum cui. in casu de Præbendis in 6. etque jam dictum supra §. 5. nu. 125. Similique præsentatio est in fructu, sicut collatio, juxta Glossam c. Cum olim. §. Capitulum. circa fin. de Majorit. & obed. Fructus autem Beneficii debent reservari futuro Successori, per jura nu. præced. allegata.
- 182 Nec obstat primò, quòd Capitulum, Episcopo negligente, conferat Beneficia ad hujus collationem spectantia, c. Nulla. 2. §. Si autem. de Concessione Præbend. Resp. enim, illud procedere duntaxat in casu negligentie; sive, quando Episcopus conferre distulerit, uti loquitur textus cit. c. Nulla. Secus dicendum in casu Sedis vacantis: tunc enim nulla potest notari negligentia Episcopi, Beneficia conferre differentis; hoc ipso, quòd non adst

ibi Superior, sive Episcopus, qui possit de factis, vel de jure conferre; prout respondet Pontifex. c. Illa. in fin. Ne Sede vacante & c.

Nec obstat secundò periculum Ecclesiarum, quòd Sede Episcopali diutius vacante ipsis immineret, si de novo conferri non possent per Capitulum regnans. Resp. enim, huic periculo aliâ ratione competenter tunc subveniri posse; ac debere. Siquidem, ubi Beneficium pertinet ad collationem Episcopi, Sede vacante contigerit vacare, tenetur Capitulum, seu Vicarius Capitularis ipsius, statim habitâ notitiâ vacationis Ecclesie, idoneum in ea Vicarium, si opus fuerit, cum congrua fructuum portionis assignatione constituere; qui onera ipsius Ecclesie sustineat, donec electio novo Episcopo, eidem de Idoneo Rectore provideatur: prout in simili casu novissimè decrevit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 18. de Reform. Huc quadrat, quòd antè docuit Abbas cit. c. Illa. n. 2. & 4. Ne Sede vacante. & c. asserens, in tali casu posse Capitulum interim constituere Oeconomum in Ecclesia vacante; vel hanc cuiuspiam dare in Commendam, prout antiquitus fieri poterat, can. Qui plures. 21. q. 1. & c. Nemo deinceps. 15. de Election. in 6. donec eligatur novus Episcopus: aut si hoc fieri non possit ob certas circumstantias, puta, ob diturniorum vacaturam; recurrendum esse ad Dominum Papam, veluti Ordinarium omnium.

Resp. II. Etiam Beneficia devoluta ad Episcopum ratione negligentie, vel delicti inferioris, non potest conferre Capitulum Sede vacante. Ita Abbas c. Cum olim. n. 2. vers. Mihi plus placet. de Majorit. & obed. Baldus c. Ne pro defectu. n. 7. de Election. Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Devolutionibus. n. 93. Garcias part. 5. de Beneficiis. cap. 7. n. 53. Barbosa tract. de Cononiciis, cap. 42. n. 110. §. Verum. Anton. Flamin. Marchetus in Praxi Vicarii Capitularis, part. 2. tit. 32. n. 6. & seqq. Diana part. 8. tract. 4. resol. 27. Azorius part. 2. lib. 3. cap. 38. quest. 6. asserens, hanc opinionem esse recipiendam, eamque videri communem: quamvis oppositum teneat Jo. Andreas c. Quamquam. num. 1. & 2. de Election. in 6. ac etiam Abbas, sibi contrarius, in c. Illa. nu. 3. Ne Sede vacante & c. Zerola in Praxi Episc. par. 1. §. Capitulum. Vallensis tit. Ne Sede vacante. n. 4. & nonnulli alii. Ratio Conclusionis est. Tum quia regula stat negativè; videlicet, Capitulum Sede vacante non potest conferre beneficia ad collationem Episcopi pertinentia, c. Illa. 2. Ne Sede vacante & c. & cap. un. §. Cum verò eod. in 6. Nullibi autem ab hæc regula reperitur excepta Beneficia, quorum collatio spectat ad Episcopum jure devolutionis ob negligentiam, vel delictum inferioris. Tum quia eadem ratio, quæ militat de Beneficiis jure proprio pertinentibus ad collationem Episcopi, pariter urget de Beneficiis devolutis: nam etiam horum collatio sapit aliquam donationem.

Dices, Devolutio collationis beneficii ob negligentiam, vel delictum inferioris, pertinet ad jurisdictionem ordinariam Episcopi: sed in jurisdictione ordinaria Episcopi succedit Capitulum Sede vacante; ergo. Resp. Minorem variè esse limitandam, prout ex professo dicitur infra Tit. 9. Ne Sede vacante & c. §. 2. & 3. ferè per totum. Præcipuè verò eadem Minor limitatur in illis, quæ sapunt gratiam, & alienationem bonorum, seu jurium Episcoporum: uti est collatio Beneficiorum, etiam jure devolutionis ad Episcopum pertinentium, arg. cap. ult. de Offic. Vicar. in 6. cum similibus.

Resp. III. Nihilò minus, quando collatio Beneficii simul & communiter pertinet ad Episcopum & Capitulum, mortuo Episcopo (imò & aliter effecto inhabili) potest Capitulum Sede vacante conferre ejus-

ejusmodi Beneficium. Ita communis omnium, juxta textum expressum cap. un. Ne Sede vacante & c. in 6. ubi dicitur: Si ad Episcopum & Capitulum communiter pertineat collatio Præbendarum, mortuo Episcopo, vel à Beneficiorum collatione suspensio, poterit Capitulum vacantes conferre Præbendas, etiam si Episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi ut Prælati. Hæc ibi. Accedit ratio, quàm dat Glossa ibid. §. Etiam si, in Addit. & Vivianus in Rational. Jur. Canon. Quia Capitulum, & Episcopus, censentur unum corpus quoad ea, quæ eis conveniunt communiter faciendâ, c. Novit. 4. De his quæ sunt à Prælati & c. ac proinde uno ipsorum effecto inhabili, succedit alterum. Nam jura corporis mystici, seu Universalitatis, conservantur in uno, l. Sicur. §. fin. ff. Quod cujusque universit. nomin.

Unde & vicissim, si collatione beneficii communiter ad Episcopum & Capitulum pertinente, Capitulum reddatur inhabile ad conferendum (puta, quia est suspensum à collatione, vel singulariter omnes de capitulo sunt excommunicati) tunc vicissim solus Episcopus poterit illud conferre, text. clar. cit. cap. un. Ne Sede vacante & c. in 6. Et ratio est, quæ supra.

Secus dicendum, quando collatio beneficii spectat ad solum Episcopum; ita tamen, ut is teneatur requirere consilium, vel consensum Capituli. Tunc enim mortuo Episcopo, nequit Capitulum conferre ejusmodi Beneficium vacans. Idemque dicendum, si Episcopus est suspensus: nisi forsitan Episcopus fuerit in mora petendi relaxationem suspensionis. Textus est in cap. un. §. Cum verò. Ne Sede vacante & c. in 6.

Resp. IV. Insuper potest Capitulum Sede Episcopali vacante, confirmare electiones ad Beneficia celebratas, aut eas justè exigente causâ infirmare; prout habetur c. Cum olim. 14. de Majorit. & obed. Potest etiam præsentatos à Patronis ad Beneficia instituire. Textus est expressus in cap. 1. de Institut. in 6. illis verbis: Esti Capitulum Sede vacante beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit: præsentatos tamen à patronis potest admittere, si sui idonei, & eos instituire in beneficiis; ad quæ fuerint præsentati: Licet ad Episcopum (si superest) admisso, vel instituto hujusmodi perineret. Hæc ibi.

Ratio autem diversitatis, & cur Jura voluerint, Capitulum Sede vacante competere potestatem instituendi in Beneficiis præsentatos, & confirmandi electos, non autem conferendi ipsa Beneficia, hæc est: quia collatio libera beneficii Ecclesiastici, est quædam liberalitas, & donatio, per Jura num. 180. allegata. Licet enim Superior teneatur conferre Beneficium vacans, tamen non tenetur illud conferre huic determinatæ personæ, præsertim in concursu æquè digni: ac proinde huic illud conferendo, facit ipsi gratiam, & liberalitatem quandam. Glossa in c. Relatum. 9. §. Liberaliter. h. t. Contra verò confirmatio electi, vel institutio præsentati, non est donatio; imò est necessaria, & debita tali personæ; si electus, vel præsentatus est idoneus: ut c. Postquam. 2. de Election. & can. Decernimus. 16. q. 7. cum similibus. Et hinc fit, quòd confirmatio, & institutio, sint jurisdictionis necessariæ, in qua succedit Capitulum Sede vacante: non sic libera collatio Beneficii. Imò si hæc competeret Capitulo, posset magnum fieri præjudicium Episcopo futuro. Abbas in c. Illa. num. 6. Ne Sede vacante & c. & alii.

Queritur III. An Capitulum Sede vacante possit recipere resignationes Beneficiorum? Resp. In resolutione hujus Questionis variant Doctores. Et quidem affirmat Abbas c. Cum olim. n. 2. vers. Sexto

dubitatur. de Majorit. & obed. asserens, Dominos de Rota fuisse in hoc varios, sed majorem horum partem ita censuisse. Federicus de Senis Tom. 15. Tractatum. tract. de Permutation. Beneficior. quest. 36. n. 61. & Felinus cit. c. Cum olim. n. 4. de Majorit. & obed. cum aliis asserentes, posse Capitulum Sede vacante recipere Beneficiorum resignationes, non tamen ea conferre, quando ipsorum collatio ad solum Episcopum pertinet; sed hanc futuro Episcopo esse reservandam, atque interim Oeconomum, seu Vicarium in Beneficio constituendum. Rationem dant: quia Capitulum Sede vacante potest aliquid ex causa legitima privare Beneficio; ergo etiam ex pari causa ejus resignationem admittere. Nam regula est, quòd is possit recipere resignationem, qui potest destituere; ut inquit Innocentius, & alii, in c. Quod in dubiis. de Renuntiat.

Negativam econtrâ sententiam tenet Glossa in 192 Clem. un. §. Conferantur. de Rerum permutat. Flamin. Parisius lib. 7. de Resignat. Beneficior. quest. 23. num. 37. & 38. hanc opinionem appellans veriorum, & communem, quam etiam tenuit Rota in una Ilberden. die 6. Novemb. 1545. coram Reum. Pirhing. tit. de Majorit. & obed. num. 57. & alii. Rationem asserunt. Tum quia resignationes beneficiorum, ad collationem solius Episcopi spectantium recipere, nullibi reperitur in Jure concessum Capitulo Sede vacante; ergo subintrat regula negativa, quæ habetur c. Illa. 2. Ne Sede vacante & c. Tum quia hoc ipsum videtur Capitulo expressè denegatum cap. un. §. Cum verò eod. in 6. ubi absolute dicitur, quòd si ad solum Episcopum Præbendarum spectat collatio, desuncto Episcopo—Capitulum se non possit intrinsece eisdem. Atqui Capitulum eisdem se intrinsece ret, si talium Præbendarum, seu Beneficiorum reciperet resignationem; ergo. Tum tandem, quia admisso resignationem, absolute & liberè factæ, importat gratiam atque liberalitatem; per eam quippe remittitur resignanti onus, atque obligatio interservendi Ecclesie: atqui in his, quæ sunt gratiæ & liberalitatis, Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo; ergo.

Nec urget (inquit) ratio prioris sententiæ. 193 Nam à diversis non valet illatio, l. Papinianus. ff. de Minorib. Atqui valde diversa sunt, Capitulum ex causa privare posse Clericum Beneficio, & posse ejus resignationem admittere: istud quippe sapit gratiam & liberalitatem, atque pertinet ad jurisdictionem voluntariam; illud verò spectat ad justitiam, atque jurisdictionem contentiosam. Hanc autem competere Capitulo Sede vacante, patet ex c. His quæ. II. junctâ Glossâ fin. de Majorit. & obed. licet prior, sive jurisdictionis voluntaria, respectu jurium Episcoporum eidem minimè competat.

Tertiam tandem, mediàmque sententiam, tenet Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Devolutionib. num. 95. Garcias part. 5. de Beneficiis, cap. 7. num. 72. Layman lib. 4. Theol. Mor. tract. 2. cap. 10. n. 5. Ant. Flaminus Marchetus in Praxi Vicarii Capitularis, part. 2. tit. 32. n. 18. & Diana part. 8. tract. resol. 29. Atque hæc opinio asserit, Capitulum Sede vacante non posse recipere resignationes liberas, seu simpliciter factas Beneficiorum ad collationem solius Episcopi pertinentium: bene tamen resignationes ex justa causa permutations factas, vi cuius Beneficia resignata necessariò sunt conferenda Clericis resignantibus post admittam ipsorum resignationem. Clem. un. de Rerum permutat. sicque reddit ratio num. 190. allegata.

In hac sententiarum varietate cumprimis dicendum est post Glossam cit. Clem. un. §. Conferantur. de Rerum permutat. communiter receptam, quòd



quod Capitulum Sede vacante possit recipere, atque autorizare resignaciones Beneficiorum, quando horum collatio spectat ad solum Capitulum, vel ad Episcopum & Capitulum simul. Quia enim tunc potestas conferendi Beneficia pertinet ad Capitulum Sede vacante, cap. un. Ne Sede vacante &c. in 6. nihil obstat, quin eorum etiam resignacionem recipere possit, quasi jure quodam accrescendi. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 69. n. 8. cum aliis, quos citat.

196 Deinde Capitulum Sede vacante potest recipere resignaciones ex causa necessaria, non autem liberè ac simpliciter loquendo. Barbosa cit. num. 8. & alii. Istud contingit, quando fit resignatio beneficii ratione delicti commissi, atque in poenam ipsius resignantis: quia tunc nulla intervenit gratia, seu liberalitas huic facta, sed debita ejus punitio. Flamin. Parisius cit. lib. 7. quest. 23. n. 35. Marchettus d. tit. 32. n. 21. & alii. Idemque dicendum, quando resignatio fit ob inhabilitatem personæ resignantis, siveque in utilitatem aut necessitatem Ecclesiæ: nam Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in illis, quæ sunt contentiose jurisdictionis; aut quæ instant necessitate, vel justitia, sunt expedienda. Flamin. Parisius d. lib. 7. de Resignat. Benefic. quest. 23. n. 35. & seqq. Pirhing. ubi supra. n. 57. Quaranta in Summa Bullarum. §. Capitulum Sede vacante. quest. 9. & alii. In cæteris verò casibus, seu liberè ac simpliciter loquendo, atque in gratiam sive favorem ipsius resignantis, nequit Capitulum Sede vacante recipere resignaciones Beneficiorum spectantium ad collationem solius Episcopi, per rationes num. 192. & 193. relatas; & concordant dicta superius Lib. I. Tit. 9. De Renunciacione §. I. n. 7.

197 Quæritur IV. Quid juris competat Vicario Generali Episcopi circa collationem Beneficiorum? Resp. I. Vicarius Generalis Episcopi habens mandatum Generale, non potest idcirco conferre Beneficia, quorum collatio pertinet ad Episcopum: nisi eorum collatio fuerit ipsi specialiter concessa. Ita habetur expressè decilum cap. ult. de Offic. Vicarii, in 6. et addita ratione: Quia in generali concessione nequaquam illa veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus; nec regulariter dante valeat is, cui honorum administratio etiam libera est concessa. Hæc ibi.

198 Resp. II. Possunt nihilo minus Vicarii Generales Episcoporum (alias Officiales dicti, cap. ult. de Offic. Vicarii in 6.) per commissionem Officii generaliter sibi factam, à Patrois præsentatos instituere in Beneficiis; ita habetur c. Ex frequentibus. 3. de Institut. Et ratio disparitatis inter institutionem, & collationem Beneficiorum, patet ex dictis n. 190. Institutio enim præsentati in beneficio est necessitatis, ipsique debita, si cæteris sit habilis seu dignus: non sic collatio beneficii, utpote quæ respectu talis personæ liberè fit, sicque habet rationem liberalitatis, & donationis cujuspiam.

199 Quæritur V. Quid juris, quando præsentatio spectat ad Ecclesiam aliquam Collegiatam? Resp. I. Si jus præsentandi spectat ad Collegium, seu Ecclesiam Collegiatam, præsentabit Prælatum ejusdem de consensu Capituli, vel majoris partis ipsius: alioquin, si consensus Capituli non adfuisset, irrita foret præsentatio à solo Prælate facta, & inde secuta institutio Clerici in beneficio. Textus est in c. Novit. De his quæ sunt à Prælati &c. jundâ Glossâ §. Carere, & Abbate ibi. n. 8. afferentibus, has ipso jure esse irritas: quod intellige sub limitationibus n. seq. ponendis. Concordat c. Ea noscitur 6. eod.

200 Resp. II. Limitari tamen debet data Conclusio, nisi ex antiqua consuetudine, vel privilegio com-

petat Prælate, ut possit solus, & absque consensu Capituli quempiam præsentare; prout habetur cit. c. Ea noscitur. 6. §. fin. de his quæ sunt à Prælati &c. Vel nisi tacitus saltem consensus Capituli, ut pote scientis, non reclamantis, accesserit: nam in illis, & quæ pertinent ad Prælatum & Collegium simul, sufficere tacitum Collegii consensum, textus est in c. Contineatur. 2. eod.

## §. VIII.

## De pluralitate, &amp; incompatibilitate Beneficiorum.

## S U M M A R I U M.

201 Utrum pluralitas Beneficiorum sit prohibita; & cur? Et num. seqq.

Beneficia singula singulis sunt conferenda. Ibid.

202 Enumerantur inconvenientia, quæ ex pluralitate Beneficiorum ab eodem detentorum proveniunt.

203 Dantur aliqui casus, in quibus plura Beneficia simul retinere, peccatum non est.

204 Dummodò id fiat cum recta intentione.

205 In quibus casibus plura Beneficia simul licitè retineantur? Et num. seqq.

206 Istud accidit, quando Beneficia de se non sunt incompatibilia, simulque unum eorum non sufficit ad honestam Clerici sustentationem.

Utrum duo tamen non possint eidem per Episcopum conferri. Ibid.

207 Quando Ecclesia Cathedralis, vel Collegiata, tenues habet Præbendas, potest ipsi per Episcopum unum Beneficium simplex.

208 Talis unio Beneficiorum, etiam curatorum, fieri potest cum curatis, propter eorum paupertatem.

209 An possint plura Beneficia simul retineri, quando unum datur in titulum, alterum in commendam?

210 Potest quis ex consuetudine in eadem Ecclesia unâ cum Canonatu obtinere Dignitatem, Personatum &c.

211 Non tamen potest quis esse triplex in eadem Ecclesia absque dispensatione Papali.

212 Beneficiorum incompatibilitas generatim ex duplici capite oritur: videlicet,

213 Si vel ipsa Beneficiorum institutio non permittit, plura ab eodem administrari; idque exemplificatur. Et num. præced.

214 Vel quando unum eorum ad honestam Clerici sustentationem sufficit. Et n. 212.

215 Atque istud multipliciter probatur. Et num. præced.

216 Consuetudo, etiam immemorialis, non excusat eorum Deo retinentes plura Beneficia, quorum unum sufficit ad honestam sustentationem.

Licet excusare possit à penis temporalibus. Ibid.

217 Et cur nihilo minus plura Beneficia passim acquirantur, retineantur, & conferantur, quibus placuerit?

218 Neque per dispensationem, etiam Papalem, potest Clericus post obtentum Beneficium ad suam sustentationem sufficiens, adhuc aliud recipere, & retinere. Et num. seqq.

219 Nisi iustis causa sic dispensandi: & qualis sufficit? Et num. præced.

220 Papa habet plenariam dispensationem de Beneficiis, & quomodo?

221 Quodnam Beneficium generatim censeatur sufficiens ad honestam Clerici sustentationem? Et num. seqq.

222 Bene-

## §. VIII. De pluralitate, &amp; incompatibilitate Beneficiorum. 95

222 Beneficiarius potest ex redditibus Ecclesiasticis sustentare parentes, fratres, consanguineos pauperes; non verò augere.

223 Quodnam Beneficium in specie censeretur debet sufficiens pro sustentatione Clerici, Judicis arbitrio relinquatur pro Foro externo.

224 Et hujus multiplex ratio. Ac num. præced.

225 Pro Foro interno relinquatur id cujuslibet conscientie.

226 Ad effectum adjudicandi sufficientiam Beneficiorum, etiam computandæ sunt distributiones quotidianæ.

227 Non autem bona patrimonialia Clericorum.

228 Beneficia de se compatibilia, quæ?

229 & 230. Referuntur horum exempla. Et num. præced.

Canonice Germanicæ, qui ex antiquissima consuetudine non requirunt residentiam majoris partis anni, de se non sunt Beneficia incompatibilia. Num. 229.

231 & 232. Beneficia de se incompatibilia, quæ? Et horum exempla.

233 Beneficia sub eodem titulo, quæ dicantur?

234 Beneficia uniformia sub eodem titulo, quæ?

235 Et an talia sint due Capellanias in eadem Ecclesia? Et num. seqq.

236 Ad uniformitatem Beneficiorum sub eodem titulo, non sufficit identitas nominis.

237 Beneficia difformia, seu dissimilia sub eodem titulo, quæ?

238 Horum duo possunt absque dispensatione Apostolica simul retineri, quando unum non sufficit ad honestam sustentationem Clerici.

Et an ad hoc requiratur dispensatio Episcopi &c.? Ibid.

239 Probat, duo Beneficia difformia sub eodem titulo posse simul retineri &c.

240 Secus dicendum de duobus Beneficiis uniformibus sub eodem titulo.

241 Et quæ ratio disparitatis?

242 Non valet consuetudo retinendi duo Beneficia uniformia sub eodem titulo, etiam immemorialis.

243 Neque in his simul habendis potest dispensare Episcopus.

244 Et dispensatus per Papam ad habenda simul duo Beneficia, nequit duo uniformia obtinere in eadem Ecclesia &c.

Jura magis abhorrent, ut quis in eadem Ecclesia obtineat duo Beneficia uniformia, quàm in diversis. Ibid.

201 Quæritur I. Utrum pluralitas Beneficiorum sit prohibita; & cur? Resp. I. Regula est, quod Beneficia singula sint conferenda, non plura uni. Patet istud ex can. Sanctorum. dist. 70. & can. Singula. dist. 89. In quo posteriori loco notanter dicitur: Singula Ecclesiastici juris Officia singulis quibusque personis singulariter committi jubemus: idque exemplo corporis humani, in quo indecorum est, alterum membrum fungi alterius officio, cum omnia non eundem actum habeant. Concordat can. Clericus. cum seqq. 21. quest. 1. & c. Quia in tantum 5. h. 1. ubi pluralitatem Ecclesiarum simul retentorum certum continere periculum animarum, asseritur. Et Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 17. de Reform. pluralitatem beneficiorum ex professo reprobans, atque inter alia iniquiens, quod Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurimum Officia occupat Clericorum: & quod improbe cupiditatis affectu se ipsos, non Deum decipiant, qui ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludent, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt.

Accedit, quod ex pluralitate Beneficiorum per 202 execrabilem, atque insatiabilem, & plis semper ambientem ambitionem ab eodem simul detentorum, atque importunâ potentium improbitate à Romanis Pontificibus extortorum potius, quàm obtentorum, plura noscantur inconvenientia oriri, quæ deplorat Joannes Papa XXII. in Extravag. Execrabilis h. t. quæ etiam reperitur inter Extravag. Commun. eod. sequentibus verbis: Unde inter cætera inconvenientia, subscripta nascuntur: quod videlicet interdum unus, qui unum, quamvis modicum vix officium implere sufficeret, plurimorum sibi vendicet stipendia, quæ multis literatis viris vine puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere, æquâ distributione collata. Habentibus ipsa paratur vagandi materia, Divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis Beneficiis debita non servatur. Et dum non sunt sui in unaquaque Regione Rectores, Ecclesiarum detrahatur commodis, & honori: quæ carentes defensorum auxilio in iuribus suis, & libertatibus, multipliciter collabuntur; & ruinis patent ædificia nobilita, quæ magnificentè extruxerunt decessorum. Et (quod amarissimè est dolendum) animarum cura negligitur; & vitorum sentibus fomentum periculose præbetur. Hæc Pontifex, miserâ experientia amplius comprobata: quæ meritis quemlibet, suæ salutis memorem, deterrere valent à solicitanda Beneficiorum pluralitate, ne & ipse certum incurrat animæ suæ periculum; sitque in numero eorum, de quibus dicit D. Apostolus ad Philipp. 2. Omnes, quæ sua sunt, querunt, non quæ sunt JESU Christi.

Resp. III. Dantur nihilo minus aliqui casus, in 203 quibus plura beneficia Ecclesiastica simul retinere, peccatum non est: dummodò id fiat cum recta intentione. Ita D. Thomas Quodlibet. 9. art. 15. Fagnanus c. Quia in tantum. num. 11. de Præbend. & communis. Ratio est: tum quia habere plura beneficia Ecclesiastica, non est intrinsecè malum: ut est, mentiri, fornicari &c. Sed quamvis habeat quandam mali specieem, ob inconvenientia inde nasci solita & proximè enumerata: nihilo minus hæc ipsa concurrentibus certis circumstantiis excludi, atque cohesitari possunt. Tum quia dantur aliqua Beneficia, quæ inter se non sunt incompatibilia, sed compatibilia: prout desumitur ex c. Gratia. 7. de Rescript. in 6. dum dicitur: Si talia sint beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri. Ubi proinde Glossa §. de jure teneri plura enumerat Beneficia, quæ simul retineri possunt. Quod ipsum manifestè supponit Concilium Tridentinum Sess. 7. cap. 4. de Reform. illis verbis: Plura curata, vel aliis incompatibilia beneficia. Frustrâ enim adderetur ly, vel aliis incompatibilia, nisi darentur quædam Beneficia inter se compatibilia.

Additur tamen, dummodò id fiat cum recta intentione: ut putâ, ob majus bonum Ecclesiarum, sufficienti Clericorum ministerio destitutarum, vel ob veram insufficientiam prioris Beneficij pro honesta Clerici sustentatione, aut hujusmodi. Nam si quis eâ intentione plura recipiat Beneficia, ut ditior evadat, ut lautius vivat, ut facilius ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesia ubi Beneficium habet &c. non tolluntur supra memoratæ deformitates, sed augentur: quia cum tali intentione, utpote ex radice avaritiæ, gulæ vel ambitionis procedente, etiam unum habere Beneficium, illicitum est, & peccaminosum. D. Thomas lo. cit. Fagnanus d. n. 11. & alii. Verùm occasione præmissorum, ac suppositâ bonâ intentione,

Quæritur II. In quibus casibus plura beneficia Ecclesiastica simul licitè retineantur? Resp. Istud contingere potissimum in sequentibus casibus, Primò,



Primò, per legitimam dispensationem, ex causa rationabili factam: de qua ex professo agerit inferius §. seq. per totum: querendo simul, an istud pariter fieri possit vi longævæ consuetudinis.

206 Secundo id accidit, & quidem sine dispensatione, quoties ipsa Beneficia de se non sunt incompatibilia, simulque unum eorum non sufficit ad honestam Clerici sustentationem. Patet hoc ex Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 17. de Reform. ubi partim antiquos Canones innovando, partim de novo decernendo, statuitur, ut *imposterum unicum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficit, liceat nihil minus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre &c.* Hæc ibi. Plura verò beneficia duobus, etiam si hæc ad honestam Clerici sustentationem non sufficerent, non posse conferri per Episcopum absque dispensatione Apostolica, fuisse decisum à Sacra Congregatione Concilii, refert Garcias part. 11. de Beneficiis, cap. 5. n. 310. Fagnanus c. Cum jam dudum. n. 71. de Præbend. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 62. n. 6. atque amplius dicitur infra n. 211. & n. 268. & seqq.

207 Tertio id ipsum contingit, quando Ecclesia Cathedralis, vel Collegiata insignis, adeò tenues habet Præbendas, ut unà cum distributionibus quotidianis non sufficiant decenti Canonorum sustentationi. Tunc enim licitum est Episcopo, cum consensu Capituli aliqua simplicia Beneficia, non tamen Regularia, eidem unire, quæ proinde simul cum Præbendis illis retineri possunt, juxta Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 15. de Reform. Quamquam, si istud non sufficeret, possint etiam servatis servandis alique dicitur Præbendarum suppressi, prout concedit idem Concilium lo. cit.

208 Similiter possunt Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, facere uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum Parochialium, & Bapstimalium, & aliorum Beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter eorum paupertatem, & in cæteris casibus à Jure permisis. Textus est in Concilio Tridentino Sess. 21. cap. 5. de Reform. Unde facta tali unione, possunt illa Beneficia simul retineri: quia Beneficium perpetuò, & accessoriè unum alteri, censetur unum cum illo, & naturam ejus induit, etiam si fuerit simplex; imò & prædium ejus reputatur, ut proinde hoc casu magis unicum beneficium obtineatur, quam plura. Vallensis h. t. §. 4. n. 14. vers. Tertio. Sannig eod. cap. 2. num. 3. & amplius dicitur infra Tit. 12. Ut Ecclesiastica beneficia &c. §. 3. n. 45. 46. & 47.

209 Quarto, spectato Jure communi possunt plura Beneficia simul retineri, quando unum datur in titulum, & alterum in commendam ad tempus, puta, ad sex menses: quia Commenda temporalis, etiam si fit de Ecclesia Parochiali, non inducit incompatibilitatem, can. Qui plures. 21. q. 1. & c. Nemo deinceps. 15. de Election. in 6. Vallensis lo. cit. vers. Quarto. Piaceticus part. 2. Praxis Episc. cap. 5. num. 76. & alii. Secus dicendum de Commendis perpetuis, quales de facto solent concedi, & quidem per Papam dimittaxat, juxta dicta superius num. 36. 40. & 41. nisi accesserit legitima dispensatio Papæ.

210 Quintò, potest quis accedente auctoritate Episcopi, statuto, vel consuetudine Ecclesiæ, in eadem Ecclesia unà cum Canonatu obtinere Dignitatem, Personatum, vel Officium: puta, quòd quis sit Præpositus, Decanus, Scholasticus, aut Custos, & simul Canonicus. Glossa in cap. 1. §. Nisi unicum. de consuetud. in 6. & Barbosa ibid. n. 4. & Franchus n. 7. Pirhing cit. de Consuetud. n. 97. Garcias

de Beneficiis, part. 11. cap. 5. n. 246. & 247. asserens, quòd Sacra Congregatio in una Valentina. 1593. censuerit, conclusum permittenti, quòd in eadem Ecclesia Dignitates cum Præbendis Canonicalibus teneantur, non esse derogatum à Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 17. de Reform. Videtur enim (inquit Garcias lo. cit. n. 248.) hujusmodi consuetudo esse rationalis, & introducta, ut obtinentes Dignitates decentius sustententur.

Addit tamen Garcias cit. part. 11. cap. 5. n. 238. 211 cum pluribus aliis, quòd in eadem Ecclesia nullo modo possit quis esse triplex, absque dispensatione specialia; neque valeat consuetudo, vel statutum in contrarium, juxta cit. cap. 1. de Consuetud. in 6. & notat Dominicus ibid. n. 5. & 12. & Franchus n. 7. pluresque alii apud eundem Garciam. Concordat Glossa fin. in Clem. ult. de Præbend. dicens, quòd nemo potest esse triplex in Ecclesia sine dispensatione Papali, nec valet in hoc consuetudo, cit. cap. 1. de Consuetud. in 6. Id ipsum, seu quòd nemo possit esse triplex in eadem Ecclesia, censuit Sacra Congregatio Concilii, relata per Garciam, ubi supra, n. 249. 8. Januar. 1594. Accedunt dicenda inferius n. 267. & 268. & seqq.

211 Quæritur III. Unde generatim confurgit incompatibilitas Beneficiorum? Resp. I. Generatim loquendo, pluralitas Beneficiorum, ab eodem simul retentorum, ex duplici capite inordinationem continet, sique oritur incompatibilitas eorum: videlicet, si vel ipsa Beneficiorum institutio non permittit, ut plura ab eodem administrantur: vel quando unum eorum ad honestam Beneficiarii sustentationem sufficit; nam tunc plura Beneficia, licet cæterisquin compatibilia, simul retineri nequeunt. Ita Layman lib. 4. Theol. Mor. tract. 2. cap. 8. n. 2. Pirhing h. t. n. 124. & in re communis.

Et quidem prior pars de se patet, solètque exemplificari in Beneficiis, personalem residentiam requiruntibus; ut puta, in duobus Episcopatibus, duabus Parochiis, aliisque Beneficiis curatis, utpote Jure naturali, ac Divino, personalem residentiam continuam postulantibus. Idemque dicendum de cæteris Beneficiis, quæ vel Jure Ecclesiastico requirunt perpetuam residentiam; ut Dignitates, Canonicatus, Personatus &c. Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiarum, juxta Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 12. de Reform. juncto c. Quia nonnulli. 3. & c. Inter quatuor. 10. de Cleric. non resident. & alibi. Vel saltem ex primæva fundatione, statuto, aut consuetudine, continuam residentiam expostulant. Quia enim nullus in duobus locis simul existere, atque personaliter residere potest, clarum est; Beneficia illa, quorum quodlibet continuam requirit residentiam personalem, hoc ipso esse incompatibilia; ac proinde simul obtineri, & retineri non posse.

212 Altera verò pars, seu quòd incompatibilitas Beneficiorum etiam ex eo confurgit, quòd unum ipsorum ad honestam Clerici sustentationem sufficit, licet alloquin, seu quantum est ex se, incompatibilia non forent: est Glossa in c. Dudum. il. 2. §. Retinere. de Election. dicens, quòd qui habet plura beneficia, quorum alterum per se sufficeret, non potest sine mortali peccato retinere aliud &c. Eandem Glossam approbat Abbas ibid. num. 36. & c. Exspirande. in Reperit. §. Qui verò. num. 34. & seqq. h. t. S. Bernardus Episc. 271. ad Comitem Theobaldum; & lib. 2. de Considerat. ad Eugenium Papam; cap. 6. Navarrus cap. 25. Manual. n. 125. Azorius part. 2. lib. 6. cap. 10. quest. 2. & 7. asserens pluralitatem Beneficiorum, quorum unum honestè Clerici sustentationi sufficit, Jure etiam naturali damnatam esse. Sylvester §. Beneficium. cap. 4. quest. 1. in fin. Layman d. lib. 4. tract.

tract. 2. cap. 8. n. 2. Alfons. H. jeda Tractatum tom. 15. part. 1. tract. de Beneficior. incompatibilit. cap. 19. nu. 1. Flamin. Pasticus lib. 5. de Resignat. Beneficior. quest. 6. n. 115. & seqq. Piaceticus in Praxis Episcopalis part. 2. cap. 5. art. 2. n. 83. Sannig. h. t. cap. 2. n. 1. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 62. n. 6. cum plurimis aliis, quos citant: adeò, ut hæc sit communis sententia.

215 Atque ista pars Conclusionis desumitur imprimis ex can. Sanctorum. dist. 70. & can. Clericus. 21. q. 1. cum similibus, pluralitatem beneficiorum abhorrentibus. Concordat c. Conquerente. 6. de Cleric. non resident. & c. Cum tenemur. 6. h. t. ubi habetur, etiam ad mandatum Papæ non esse providendum illi de beneficio, qui aliud Beneficium habeat, de quo valeat commode sustentari, nisi hoc ipsum fuerit expellendum. Ique clarè probatur ex Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 17. de Reform. ubi præmissi illi generali ratione, quòd Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum: statuitur, ut imposterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; & si istud ad honestè sustentandam vitam Beneficiarii non sufficit, tunc primum liceat aliud simplex Beneficium eidem conferre. Accedit ratio: quia repugnat lumini naturali, ut quis plura simul non necessaria Beneficia occupando, defraudet alios idoneos Clericos à consecutione competentium Beneficiorum, quibus commode sustentari possent. Hoc enim non solum pugnat contra primævam Fundatorum intentionem, ab Ecclesia acceptatam, & approbatam: sed etiam contra illud Jure naturæ notum, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. His adde inconveniëntia, quæ ex pluralitate Beneficiorum, ab eodem quandoque detentorum, oriri solent: juxta dicta superius n. 201. & 202. Occasionem horum, atque pro meliori intelligentia hujus secundæ partis datæ Conclusionis.

216 Quæritur IV. Utrum quis ratione longævæ consuetudinis, vel dispensationis, possit obtinere, atque retinere plura Beneficia, haud obstante, quòd unum eorum jam sufficit ad honestam ipsius sustentationem? Resp. I. Ad eò incompatibilitas Beneficiorum ex secundo capite proximè allegato confurgit, ut passim fateatur Doctores, quòd consuetudo in contrarium, etiam immemorialis, non exulet coram Deo reinates plura Beneficia, quorum unum ad honestam eorum sustentationem sufficit. Foret enim irrationabilis illa consuetudo, utpote pugnant contra lumen naturæ, juxta proximè dicta: essetque nutritiva peccati; cum inducat vagationes, & ambitionis materiam; unà cum aliis incommodis, & damnis Ecclesiarum, in Extravag. Execrabilis, Joann. XXII. & h. t. inter Commun. enumeratis. Unde & hujusmodi consuetudinem, corruptelam (cum sacris fit inimica Canonibus, & de ambitionis radice processerit) meritò reprobans Pontifex, cap. 1. de Consuetud. in 6. eam auctoritate Apostolica reprobavit: quæ proinde nullo unquam tempore induci poterit, c. Cum venerabilis. 7. & cap. ult. de Consuetud. cum similibus. Atque ita tenet Abbas c. Exspirande. in Reperit. §. Qui verò. n. 36. h. t. allegatis pluribus rationibus contrariam consuetudinem appellans corruptelam, irrationabilem, & impræscriptibilem. Idemque tenet Hoteda cit. part. 1. tract. de Incompatibilit. Benefic. cap. 19. n. 9. & Fagnanus c. Quia in tantum. n. 17. & 18. de Præbend. asserens, consuetudinem obtinendi plura Beneficia simplicia, etiam personalem residentiam non requirentia, si unum sit sufficiens, esse corruptelam; & idèò impræscriptibilem. Flaminus Pasticus d. lib. 5. de Resignat. Benefic. quest. 6. n. 115. & seqq. Piaceticus cit. cap. 5. art. 3. nu. 83. Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

Barbosi part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 62. n. 9. asserens cum Authoribus proximè enumeratis, quòd opposita consuetudo (quam in Hispanis viget, idem referunt post Garciam d. cap. 5. n. 323.) sit contraria Juri naturali: neque exulet à peccato mortali, pœnitentiæ æternis, licet exulare possit à pœnis temporalibus. Garcias cit. part. 11. cap. 5. n. 270. Pirhing h. t. n. 127. Sannig eod. cap. 2. n. 1. persequere alii ad his allegati.

217 Neque urget, quòd passim acquirantur, atque retineantur plura Beneficia, saltem de le commutabilia, imò & per Collatores ordinarios conferantur, quibus placuerit, nullà habuit ratione, an prius Beneficium sit pingue, atque ad honestam sustentationem Clerici sufficiens, nec ne. Resp. enim cum Garcia d. part. 11. de Beneficiis, cap. 5. n. 330. allegante Zechium de Republic. Ecclesiast. cap. de Beneficiis, nu. 4. istud per Superiores fieri ex eo, quia relinquunt conscientiam ejusque: cum non possit dari certa regula, quantum cuiuslibet Beneficiario sufficiat ad honestè vivendum pro statu suo; sed istud dependeat à qualitate personarum; varietate alii circumstantiis, juxta proximè dicenda quest. seq.

218 Resp. II. Neque per dispensationem etiam Papalem fieri potest, ut Clericus post obtentum unum vel alterum Beneficium sufficiens ad suam honestam sustentationem, aliud adhuc recipere, & retinere valeat: nisi subsit justa, & rationalis causa sic dispensandi. Ita Abbas c. Cum conquerente. n. 2. de Cleric. non resident. asserens, quòd sine peccato mortali non potest quis tenere plura Beneficia, quando alterum per se sufficit; nisi subsit justa causa sic dispensandi. Et idem Abbas c. Quia in tantum. n. 2. de Præbend. istud probans ex eo: quia secundum S. Bernardum, ubi non est legitima causa dispensandi, ibi non est dispensatio, sed dispensatio. Fagnanus cit. c. Quia in tantum. n. 14. & 15. ac seqq. istud intelligens de dispensatione tum Episcopali, tum Papali, si facta fuerit sine causa. Azorius part. 2. lib. 6. cap. 12. quest. 7. Pirhing h. t. n. 127. & alii: nonnulli tamen exceptis, qui volunt, Papam solo natu, voluntate, posse plura Beneficia eidem Clerico conferre. Ratio est: quia Juri naturali repugnat, ut Clericus habeat plura Beneficia, quorum unum ad honestam ejus sustentationem sufficit: uti proximè dictum. Atqui contra Jus naturale non potest Papa dispensare, nisi subsistente gravi, ac legitimà causâ; prout liquet in dispensatione votorum, ac juramenti, & hujusmodi (talibus enim esset invalida, neque excusaret hominem quoad Deum, nisi subsisset justa causa dispensandi) ergo.

219 Additur tamen, nisi subsit justa & rationalis causa sic dispensandi. Qualis foret juxta Abbatem cit. n. 2. & Innocentium c. Cum jam dudum. circa fin. h. t. si dispensatio in tali Beneficiorum pluralitate fiat, non ratione persone Clerici, seu principaliter ad honorem ipsius: sed propter utilitatem Ecclesiarum, sive Beneficiorum; puta, quia Clericus ille est persona bona, & industria, ac literata, bonaque famæ, & conscientia, quæ melius sciret, ac possit regere duas Ecclesias, vel decem, quam alius unam. Tunc enim communis utilitas Ecclesiæ præferri poterit privatæ, can. Mutationes. 7. q. 1. Ita tamen, ut fructus beneficiales superflui, per se dispensatum in pluralitate Beneficiorum, non nisi in causis pijs licentè erogentur, juxta dicenda inferius Tit. 25. de Peculio Clericorum.

220 Nec obstat, quòd Papa plenariam habeat dispositionem de Beneficiis, c. Licet. 2. h. t. in 6. ac proinde sola ejus voluntas stet pro ratione: nam de factis ejus judicare non licet, c. Nemini. 17. q. 4. Resp. I enim



enim cum Abbate c. de multa. num. 9. de Præbend. & Pagnano, ubi supra, num. 16. citante alios, dicitur istud procedere quoad Ecclesiam militantem, eò quod nulli liceat de factis Papa judicare: scilicet quoad Deum; quia non debet sine causa relaxare jus commune, ne sit dissipator potius, quam dispensator. Concordant dicenda inferius §. seq. n. 246. & seq.

221 Queritur V. Quodnam Beneficium censetur sufficiens ad honestam Clerici sustentationem, sicque indicat incompatibilitatem cum alio Beneficio obtinendo? Resp. I. Generatim loquendo, illud Beneficium censetur taliter sufficiens, ex cujus redditibus Clericus pro status sui conditione, & se, & familiam suam, honestè valet sustentare, juraque Episcopalia persolvere, atque hospitalitatem servare. Ita Glossa in can. Clericus. 21. q. 1. §. Necessitatem: & alia Glossa c. Conquerente. §. Sufficiens, de Clericis non resident. & in re communi. Idque desumitur partim ex can. Ex his autem. 12. q. 1. & c. Cum secundum. 16. h. 1. ubi dicitur, quod secundum Apostolum 1. Corinth. 9. Qui altari servit, vivere debet de altari, cum similibus. Partim ex c. De Monachis. 12. h. 1. ubi prohibetur in Ecclesia Parochiali ad præsentationem Religiosorum Clericus instrui, nisi tantum ei de provenientia Ecclesie fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem: ac simul hospitalitatem tenere valeat. Nam, ut inquit Glossa ibid. §. Hospitalitatem, ad hanc Clerici præcipue tenentur: idemque patet ex can. Voluntas. dist. 89. & can. Quoniam quidquid. 16. q. 1. & Extravag. Esecrabilis. §. 1. h. 1. inter Commun. ubi etiam Hospitalitas in beneficiis debita censetur; junctis concordantiis à Glossa §. Debita, relatis. Unde non mirum, quod sumptus ad charitativam Hospitium, seu peregrinorum Fratrum receptionem necessarii, computari debeant in massa honestæ sustentationis Clericorum, cit. can. Ex his autem. 12. q. 1. atque tenet Glossa, ubi supra, & communis.

222 Addit Valensis tit. de Concession. Præbend. §. 4. n. 10. post Zipæum de Jure Benefic. lib. 3. de Cleric. non resident. & alios, quod ad honestam Clerici sustentationem, etiam revocandi, atque in ea computandi sint parentes, fratres, & consanguinei egentis ipsius. Nam & hos potest Beneficiarius ex redditibus Ecclesiasticis honestè pro statu suo sustentare, non verò augere: prout desumitur tum ex Can. 37. Apostolorum; tum ex Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 1. de Reform. Quo utroque in loco prohibetur Beneficiariis, ne res Ecclesiasticas, que Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, iis, ut pauperibus, distribuam: & consequenter, si pro statu suo verè indigeant, potest ipsi Clericus ex bonis Ecclesiasticis subvenire; non minus, ac aliis pauperibus; imò magis, quam istis, ob adjunctum fœdus naturale sanguinis, virtutemque amicitie, quæ specialiter præ aliis astringuntur consanguineis suis.

223 Resp. II. Quodnam Beneficium in specie debeat censi sufficiens pro honesta Clerici Beneficiarii sustentatione, nullibi in Jure reperitur definitum, neque ob diversitatem casuum una certa regula statui potest: ac proinde istud pro Foro externo relinqui debet arbitrio Judicis, paulò plus, vel minus æstimandum, consideratis tamen conditionibus, videlicet, qualitate personarum, conditione locorum, temporumque diversitate. Ita Menochius de Arbitrar. Judic. lib. 2. cap. 226. n. 12. & seq. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 62. n. 11. & lib. 3. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 13. n. 183. Flamin. Parisius de Resignat. Benefic. lib. 5. quest.

6. n. 131. González ad Reg. 8. Cancell. gloss. 15. n. 39. Alfons. Hoieda Tractatum tom. 15. tract. de Incompatibilit. Benefic. part. 1. 19. n. 22. Piascius part. 2. Praxis Episcop. cap. 5. art. 3. n. 85. & alii Ratio est: quia illa, quæ nec à Jure definita sunt, neque ob diversitatem personarum, temporum, & locorum, aliarumque circumstantiarum, certè lege definiti possunt, non nisi prudenti Judicis arbitrio relinquenda sunt; arg. can. 1. & seq. dist. 29. juncto textu aperto in L. 1. ff. de Jure deliberand. & l. Continuus. §. Cum ita ff. de Verbor. obligation. cum concordantiis. Sic autem sit in proposito; ergo.

Accedit: quia, ut inquit Glossa in c. Conquerente. §. Sufficiens, de Cleric. non resident. plura in hac sufficientia considerantur: puta, nobilitas, & scientia personæ; quia tales personæ majoribus redditibus sunt honorandæ, c. De multa. 28. §. fin. h. 1. Dignitas etiam consideranda est, ut l. Sed & si quid. §. 1. ff. de Usufructu. ubi dicitur, sufficienter quempiam alii, & vestri debere secundum ordinem, & dignitatem suam. Item attendi debet, ut Clericus possit sufficere sibi & suis; atque insuper valeat hospitalitatem servare, & jura Episcopalia solvere, cit. c. de Monachis. h. 1. Talia enim plurimum variantur juxta diversitatem personarum, locorum, ipsorumque Beneficiorum: ac non raro sufficit uni, quod non sufficit alteri, can. Non cogantur. dist. 41. Minusque sufficit manenti extra vias communes, quam in viis publicis, ubi major Hospitium, seu peregrinorum Fratrum copia advenire solet Glossa in can. Clericus. 21. q. 1. §. Necessitatem. in fin. His adde, quod debeat haberi ratio consuetudinis patriæ, seu loci: in una enim Regione potest videri Beneficium sufficiens, quod in altera censeretur tenue, juxta varietatem pretii rerum ad victum necessariam. Menochius cit. cap. 216. num. 3. & 14. Piascius, ubi supra, nu. 86. Atque hoc ipsum est ampliandum ad diversitatem temporum, puta, abundantie vel caritatis, belli vel pacis, ac hujusmodi. Nam de his omnibus, ac similibus, nequis dari certa regula; ac proinde non nisi Judicis arbitrio erit determinandum, saltem pro Foro externo.

Et additur, pro Foro externo. Nam pro Foro interno relinquitur cujuslibet conscientie, ut Deum præ oculis habendo judicet, an ipsi unum Beneficium sufficiens; recto corde advertens, quod Deum omnia insipientem fallere non possit. González ad Reg. 8. Cancell. gloss. 15. n. 39. Piascius d. cap. 5. art. 3. n. 84. post Zechthum de Benefic. cap. 5. & alios: quamvis addat, quod tutor & communior sententia sit, ut illud remaneat Judicis arbitrio.

Existimat tamen Garcias part. II. de Beneficiis. cap. 5. n. 321. cum aliis, ad effectum judicandi sufficientiam beneficii pro honesta Clerici sustentatione, etiam computandas esse distributiones quotidianas: quidquid Caputaquen Decis. 65. n. 3. part. 1. & Flamin. Parisius de Resignat. Benefic. lib. 5. quest. 6. n. 131. in oppositum sentire videntur.

Cæterum in hujusmodi sufficientia judicanda, non debere haberi rationem bonorum patrimoniorum Clerici Beneficiarii: meritò censet Barbosa cit. allegat. 62. & Piascius d. part. 2. Praxis Episcop. cap. 5. art. 3. n. 86. allegans alios. Etenim potest Clericus habens beneficium, & patrimonium, vivere de redditibus beneficii, juxta illud Apostoli. 1. Corinth. 9. Qui altari deservunt, cum altari participam, cum similibus: atque patrimonium suum, fructusque ejus sibi reservare. Nam quis militat stipendiis suis unquam, ut loquitur idem D. Apostolus cit. cap. 9. & latè probat Covarruvias cap. 1. de Testament.

Testament. n. 2. & seq. solvens contraria: & esse commune Doctorem sententiam, inquit Piascius cit. n. 86. allegans alios.

228 Queritur IV. Quæ Beneficia censentur de se compatibilia, vel incompatibilia? Resp. I. Illa Beneficia censentur de se compatibilia, quæ vel ex Jure communi, vel ex antiqua consuetudine, aut particulari statuto, seu fundatione, simul obtineri, atque retineri possunt. Talia imponis sunt Beneficia simplicia, non requirunt personalem residentiam; vel quorum unum requirit residentiam, alterum verò non. Atque istud procedit indistinctè, sive Beneficia talia simplicia existant in diversis Ecclesiis sive in eadem: dummodo ceteroquin non sint uniformia, seu ejusdem omnino rationis, & obligationis personalis.

229 Deinde Beneficia de se compatibilia censentur, quæ in diversis Ecclesiis existunt, & nullam, vel saltem non incompatibilem residentiam exigunt. Layman lib. 4. Theol. Mor. tract. 2. cap. 8. nu. 6. & 7. Ubi proinde in cit. n. 6. & post ipsum Pirhing h. t. n. 132. advertit, quod quidem duo Canonicatus diversarum Ecclesiarum, in quibus observatur Decretum Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 12. de Reform. injungens Canonice perpetuam residentiam, dempsit duobus, aut tribus mensibus cujuslibet anni, de se fieri incompatibiles: quia tamen in nonnullis Germanicæ Cathedralibus Ecclesiis, ex immemoriali consuetudine hæcenus retenta, non requiritur residentia totius anni; nec majoris partis ipsius, sed sufficit residentia sex, quinque, aut quatuor, vel trium saltem mensium; tales Canonicatus, seu Præbendæ memoratarum Ecclesiarum inter Beneficia de se incompatibilia non debent computari; cum non requirant residentiam incompatibilem, sed talem duntaxat, cui utrique satisfieri potest, residenti præscriptis mensibus in singulis Ecclesiis. Additur tamen, inter beneficia de se incompatibilia &c. Nam si alter Canonicatus se solo sufficeret ad honestam Canonici sustentationem, aliunde contingeret ipsorum incompatibilitas, conformiter dictis supra n. 214. & seq.

230 Tertio Beneficia compatibilia in eadem Ecclesia censentur, quæ difformia sunt; ut puta, Præpositura, & simplex Canonicatus. Quælibet proinde, cum utriusque simul serviri valeat, etiam simul retineri possunt; arg. cap. 1. de Consuetud. in 6. junctis dictis supra n. 210. Nisi forsitan alicujus Ecclesie specialis constitutio, aut consuetudo repugnet. Layman loc. cit. n. 7.

231 Resp. II. Beneficia de se incompatibilia (id est, abstrahendo ab eo, quod unum eorum ad honestam Clerici sustentationem sufficit) sunt illa, quæ vel ex Jure naturali, Divino, aut Ecclesiastico, vel saltem ex consuetudine, statuto, sive fundatione continentur, vel aliunde incompatibilem residentiam personalem possulant. Talia sunt duo Episcopatus, duæ Abbatiæ, duæ Parochiæ, duæ perpetuæ Vicariæ, & cætera Beneficia curata; utpote quæ Jure naturali, Divino, ac Ecclesiastico obligant ad perpetuam residentiam, juxta dicta superius Tit. præced. §. 3. n. 57. & seq.

232 Deinde intra Beneficia de se incompatibilia, spectato rigore Juris communis (quod additur ob dicta nu. 229.) comprehenduntur duæ Dignitates, Personatus, Canonicatus, aut duo Officia; utpote spectato Jure Canonico perpetuam personalem residentiam requirunt, sicut incompatibilia, c. Ad hæc. 13. & c. Præterea. 14. & c. Cum non ignores. 15. & c. De multa. 28. h. t. juncto Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 12. de Reform. Idemque dicendum de aliis Beneficiis, etiam simplicibus, quæ existunt in diversis Ecclesiis, atque ex consuetudine Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

ne, statuto, aut fundatione speciali, personalem residentiam requirunt: nam hoc ipso, quod nemo possit simul in distinctis locis existere, ibique residere, seu inservire; necesse est, talia Beneficia de se esse incompatibilia. Tandem Beneficia uniformia sub eodem testè, censentur de se incompatibilia. Quod ultimum ut melius intelligatur.

233 Queritur VII. Quænam Beneficia intelligantur esse sub eodem testè, simulque uniformia, & incompatibilia? Resp. I. Beneficia sub eodem testè dicuntur ea, quæ existunt intra eandem Ecclesiam: hoc est, vel in ipsa Ecclesia, atque intra partes ipsius sunt: vel saltem intra claustrum, aut cæmeterium contiguum ipsius continentur. Ita Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 62. n. 15. Garcias part. 11. cap. 5. n. 259. Pirhing h. t. n. 24. Qui tamen addunt, secus esse dicendum, quando Beneficium est situm in Capella, vel Cæmeterio non contiguo principali Ecclesie, sed extrà; tunc enim non censetur esse sub eodem testè Ecclesie principalis, arg. cap. un. de Consecrat. Eccles. in 6. ubi pollutâ Ecclesiâ pollutur Cæmeterium illi contiguum, sed non remotum.

234 Resp. II. Beneficia sub eodem testè alia dicuntur uniformia, seu similia: alia difformia, seu dissimilia. Et quidem Beneficia uniformia sub eodem testè dicuntur illa, quæ in eadem Ecclesia sunt infinitata ad eundem finem: adeò, ut habeant idem profus onus, & officium eodem tempore peragendum. Ita Piascius part. 2. Praxis Episcop. cap. 5. art. 3. n. 73. Pirhing h. t. num. 24. Talia sunt duo Canonicatus, duæ Portiones, duo Personatus, duo Præbendæ, duæ Capellanæ; prout exemplificat Azorius part. 2. lib. 6. cap. 11. quest. 1.

235 Intellige tamen istud ultimum de duabus Capellanis, quæ sunt ejusdem profus rationis, & obligationis personalis. Alioquin enim, si fuerint diversæ rationis, distinctique oneris (prout sunt duæ Capellanæ in duobus Altaribus ejusdem Ecclesie fundatæ, cum onere, ut in uno Altari bis v. g. in hebdomada celebretur, in altero ter aliis distinctis diebus) tunc ex non forent Beneficia uniformia sub eodem testè, nec proinde incompatibilia. Navarrus Consil. 16. de Præbend. Garcias part. 11. de Benefic. cap. 5. n. 225. & 229. González ad Reg. 8. Cancell. gloss. 10. n. 33. & 35. allegans plures alios, ac multiplicem Decisionem Rotæ. Flamin. Parisius lib. 3. de Resignat. Benefic. q. 1. n. 128. Layman cit. lib. 4. Tract. 2. cap. 8. n. 7. & alii Ratio est: quia, licet uno nomine generali Capellanæ appellentur, cum tamen habeant distincta onera, seu officia in diversis Altaribus peragenda: re ipsa non sunt Beneficia uniformia sub eodem testè, sed difformia.

236 Nec obstat identitas nominis, seu quod simili nomine Capellanæ appellentur. Resp. enim, ad hoc, ut aliqua Beneficia dicantur uniformia sub eodem testè, non sufficere, quod uno nomine generali appellentur; alioquin enim omnia Beneficia simplicia uniformia, quia eodem nomine Beneficium nominantur. Nam ad uniformitatem Beneficiorum ulterius requiritur, ut eorum munera, atque onera naturalia sint uniformia, & similia. Navarrus cit. Consil. 16. de Præbend. nu. 2. & alii proxime allegati.

237 Resp. III. Beneficia difformia, seu dissimilia sub eodem testè, contrario modo declarantur; nempe, quod quidem intra partes ejusdem Ecclesie consistant, non tamen ad eundem finem, sive officium eodem tempore peragendum ordinentur: ut sunt juxta Azorium, ubi supra, unus Canonicatus & Portio, Dignitas aliqua & Canonicatus, Personatus & Beneficium curatum, ac hujusmodi.



238 Resp. IV. Duo Beneficia difformia sub eodem tecto, quando ad honestam Clerici sustentationem unum non sufficit, possunt absque dispensatione Apostolica simul obtineri, & retineri. Ita communis Doctorum: cum hoc tamen discrimine, quod nonnulli eorum velint, ad istud saltem requiri dispensationem Episcopi, vel statutum, aut consuetudinem illius Ecclesiæ; in qua existunt talia Beneficia difformia: cæteri vero arbitrentur, ejusmodi Beneficia esse compatiblea de Jure communi: prout videre est apud Garciam part. 11. de Benefic. cap. 5. n. 231. & seqq. Ubi, postquam pro priori opinione allegasset Glossam in cap. 1. §. Nisi unicum. de Consuetud. in 6. pluresque alios; tandem n. 235. post Abbatis Consil. 96. part. 2. Navarrum Consil. 28. de Præbend. Rotam in Cesanaten. Canonatus. 19. Februar. 1590. coram Giffo. Rebuffum, pluresque alios concludit, Beneficia hujusmodi de Jure communi esse compatiblea, nisi alias sint sibi repugnantis ratione residentis, seu servitii. Nam non videtur (inquit Garcias ibid. n. 237.) textum aliquem, ex quo contraria sententia probetur. Atque huic posteriori sententiæ etiam favet Fagnanus c. Cum jam dudum. n. 49. h. t. & Pirhing eod. n. 186.

239 Et quidem duo Beneficia difformia sub eodem tecto posse simul obtineri, atque retineri, ubi unum non sufficit ad honestam Clerici sustentationem, etiam sine dispensatione Papæ (quidquid sit de necessitate dispensationis Episcopalis, statuti, aut consuetudinis Ecclesiæ, circa quod controvertunt Doctores, ut proxime dictum) desumitur ex c. Eam te. 7. de Rescript. ubi absolute dicitur, quod aliquis fuerit Archidiaconus, & Canonicus ejusdem Ecclesiæ, nulla factâ mentione dispensationis Apostolicæ, sive Episcopalis; aut statuti, vel consuetudinis Ecclesiæ. Idipsum, & quidem fortius, probatur ex cap. 1. de Consuetud. in 6. ubi circa finem decernitur, quod nulli liceat de cætero, nisi unum Personatum, vel Dignitatem, aut Præposituram sive administrationem, vel Officium perpetuum, quocunque nomine censentur, cum Præbenda in simul absque dispensatione Sedis Apostolicæ in eadem Ecclesia obtinere, vel jam obtenta tenere. Unde ponderando ly, nisi unum; & quia exceptio firmat regulam in oppositum, L. Quæsitum. 12. §. idem respondit. 43. §. Denique. ff. de Fundo instructo. cum similibus: inferre licet, quod unâ cum Præbenda, sive Canonicatu, possit in eadem Ecclesia, etiam absque alia dispensatione Sedis Apostolicæ, simul obtineri unus Personatus, Dignitas, aut Præpositura &c. dummodò ita requiratur ad honestam sustentationem Clerici.

240 Resp. V. Duo tamen Beneficia uniformia sub eodem tecto, puta, duos Canonicatus, duas Portiones, aut alia duo uniformia Beneficia, etiam simplicia, in eadem Ecclesia nemo, potest simul obtinere, atque retinere. Ita Garcias part. 11. de Beneficiis, cap. 5. nu. 182. Azorius part. 2. lib. 6. cap. 11. quæst. 1. Flamin. Parisius lib. 3. de Rescript. Beneficiorum. quæst. 1. n. 182. & 121. Card. Tuschus Litt. B. Concl. 66. n. 9. & 10. Pirhing h. t. n. 131. & communis aliorum. Idque desumitur ex c. De multa. 28. §. Hoc idem de Præbend. ubi in Concilio Generali statutum legitur: Hoc idem in Personatibus esse decernimus observandum; addentes, ut in eadem Ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere presumas, etiam si curam non habeant animarum. Concordat c. Litteras. 9. de Concession. Præbend. ubi rejicitur allegata consuetudo generalis, quod unus in eadem Ecclesia plures habeat Præbendas: atque per affectionem secundæ Præbendæ, prior ipso jure vacare dignoscitur; prout amplius declarant Glossa, & Doctores ibid. Accedit Clem. ult. h. t. ubi virtute Mandati Apostolici adeptus in Ecclesia Digni-

tatem quampiam, puta, Archidiaconatum, habentem annexam Præbendam, perdit primam Præbendam, quam habebat in eadem Ecclesia, veluti vacantem ipso jure.

Accedit ratio, simulque disparitas inter hanc, 241 & priorem Conclusionem. Quia, si quis haberet duo Beneficia uniformia sub eodem tecto, v. g. duos Canonicatus, minueretur numerus Ministrorum Ecclesiæ; & mulke cultus Divinus: nam unus, idemque, non posset stare loco duorum, v. g. Canonicoꝝ in Choro, vel Capitulo; sicque detraheretur & numero ministrantium, & cultui Divino, ut patet. Secus accidit in Beneficiis difformibus; puta, si quis habet in eadem Ecclesia simul Canonicatum, & Dignitatem: nam, quia ipse ista habet diverso jure, rectè inter Dignitates supplet numerum Dignitatum, & inter Canonicos numerum Canonicorum; potestque modò hujus, modò illius negotia rectè administrando, utrique obligationi suæ satisfacere, neque indiget Substituto aliquo. Abbas c. Cum olim. n. 6. de Sentent. & rejudicat. Garcias part. 11. de Benefic. cap. 5. n. 245. Idemque (servatâ proportione) accidit in aliis Beneficiis difformibus, vel non difformibus sub eodem tecto; uti patebit consideranti.

Ampliatuꝝ primò data Conclusio, ut non valeat 242 consuetudo contraria; videlicet, retinendi duo Beneficia uniformia sub eodem tecto, etiam immemorialis, cit. c. Litteras. de Concessio. Præbend. ac notat Glossa ibid. §. ex consuetudine, afferens, quod hæc consuetudo potius censenda sit corruptela. Abbas c. Extirpanda. in Reperit. §. Qui verò. n. 41. h. t. Flamin. Parisius lib. 3. de Rescript. Beneficiorum. quæst. 1. n. 124. Azorius cit. cap. 11. quæst. 1. Garcias d. part. 11. cap. 5. n. 180. cum pluribus aliis, quos citat.

Ampliatuꝝ secundò, ut Episcopus in duobus 243 Beneficiis uniformibus, v. g. duobus Canonicis ejusdem Ecclesiæ simul habendis, dispensare non valeat. Glossa fin. in Clement. ult. h. t. Jo. Andreas c. Litteras. n. 3. & Abbas n. 2. & 3. de Concession. Præbend. juncto textu ibid. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 62. n. 12. Azorius cit. cap. 11. quæst. 4. Flamin. Parisius loc. cit. n. 123. Garcias n. 185. allegans alios. Quia Episcopus non potest dispensare contra Sacros Canones, nisi in casibus sibi à Jure concessis, c. Dilectus. 15. junctâ Glossâ §. Permissa, & Abbate ibid. num. 6. de Temporib. Ordinat.

Ampliatuꝝ tertio, ut etiam per Papam dispensa- 244 tus ad habenda simul duo Beneficia, nequaquam censetur dispensatus, ut duo uniformia, v. g. duos Canonicatus, obtineat in eadem Ecclesia: nisi istud expressum fuerit. Abbas c. De multa. n. 4. h. t. Azorius cit. cap. 11. quæst. 1. Pirhing h. t. n. 131. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 62. n. 15. & 16. Flamin. Parisius d. lib. 3. cap. 1. n. 125. allegans Petrum de Ancharano c. Permissimus. de Etate & qualitat. Cardinalem Consil. 53. & alios, cum communi. Siquidem Jura magis abhorrent, ut in eadem Ecclesia, & sic sub eodem tecto, quis obtineat duo Beneficia uniformia, v. g. duas Præbendas, quam in Ecclesiis diversis; uti patet ex Iurisibus n. 240. allegatis, ac notat Glossa fin. in Clem. ult. h. t. Abbas c. Litteras. n. 2. & Fagnanus ibid. n. 6. & 7. de Concession. Præbend. Garcias d. cap. 5. n. 190. citans Rotam in Toletana Capellanis de Baraias. 15. Februar. 1591. coram Dom. Pumphilio. Flamin. Parisius cit. lib. 3. quæst. 1. n. 121. Barbosa, Azorius ubi supra, & alii.

De dispensatione, & consuetudine circa pluralitatem Beneficiorum.

S U M M A R I U M.

- 245 Papam posse dispensare super pluralitate Beneficiorum, cum id ratio postulaverit, certum est.
- 246 Quando Papa dispensat Motu proprio, presumitur subesse justam causam dispensandi: aliàs secus.
- 247 Causæ legitimæ dispensandi in pluralitate Beneficiorum, sunt tres.
- 248 Et quæ?
- 249 Justa causa dispensandi in pluralitate Beneficiorum ultra necessariam sustentationem, non est propositum erogandi superfluos redditus in pias causas.
- 250 Rescripta, atque dispensationes super Beneficiis Ecclesiasticis obtinendis, strictè interpretari debent. Et num. seqq.
- Dispensatio est vulnus Juris. Ibid.
- 251 Dispensatus super defectu, ut possit ad Beneficium promoveri, non potest nisi unicum Beneficium, vi talis dispensationis, obtinere. Aded, ut nec successivè possit duo consequi. Ibid.
- 252 Dispensatio, ut possit quis duo Beneficia curata recipere, ac simul retinere, intelligitur solum de primis duobus Beneficiis postea et collatis.
- 253 Et si talis postea obtineat aliam dispensationem, ut plura Beneficia simul obtinere possit, taciò illo defectu, non valet dispensatio.
- Dispensatio addita dispensationi non valet, nisi in secunda fiat mentio de prima. Ibid.
- 254 Provisus de Beneficio sub clausula, non obstante, quod aliud Beneficium obtinere nesciat, non potest primum Beneficium retinere cum secundo.
- 255 Secus, si istud exprimat.
- 256 Dispensatus super pluralitate Beneficiorum, censetur etiam dispensatus super residentia, & aliis connexis, ac necessariis consecutivis.
- 257 Tacturnitas Beneficij præhabiti, quantumcumque modici, vitiat dispensationem super pluralitate Beneficiorum.
- Imò & cætera Rescripta ad Beneficia. Ibid.
- 258 Utrum Episcopus possit dispensare in pluralitate Beneficiorum? Et num. seqq.
- Olim is poterat dispensare in duobus Ecclesiis curatis simul retinendis; non item in duobus Canonicatibus. Ibid.
- 259 Et quæ ratio dispensationis?
- 260 Defectus nequit Episcopus dispensare circa plura Beneficia curata, vel dignitates, aut Personatus.
- 261 Idque probatur. Et num. 263.
- 262 Cur Episcopus fuerit adempta potestas dispensandi in pluralitate Beneficiorum curatorum? Et num. præced.
- Privilegium meretur amittere, qui permisit sibi abutitur potestate. Ibid.
- 263 Episcopus nequit dispensare contra Jus commune, nisi in casibus sibi à Jure concessis &c.
- 264 An is possit dispensare in pluralitate Beneficiorum, occurrente casu magnæ necessitatis?
- 265 Episcopus potest dispensare ob cœnitatem v. Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

g. reddituum, ut quis unâ cum Præbenda Canonicali obtineat Personatum, vel Dignitatem &c.

- 266 Vel ut quis habeat duo Beneficia simplicia, aut curatum cum simplici &c.
- 267 An Episcopus habenti duo Beneficia, etiam simplicia, sed ad honestam sustentationem Clerici non sufficientia, possit conferre tertium; Et nu. seqq.
- Antiquius id licitum fuit. Ibid.
- 268 Secus defectu, sive post Concilium Trident.
- 269 Idque probatur ex eodem Concilio, junctis Declarationibus Sacræ Congregationis. Et num. præced.
- 270 Afferuntur Authores, & rationes oppositæ sententiæ.
- 271 Atque solvuntur. Et num. præced.
- 272 Quid, si vicibus viget consuetudo, ut Episcopus possit eidem conferre tria Beneficia ad honestam ejus sustentationem?
- 273 Vel si Episcopus conferat tertium, non ad effectum retentionis, sed ut unum ex prioribus dimittatur?
- 274 Utrum per longævam consuetudinem induci possit, ut quis plura simul Beneficia obtinere, & retinere possit? Et num. seqq.
- Loquendo de Beneficiis curatis, non valet ejusmodi consuetudo, etiam immemorialis; & cur?
- 275 Idem dicendum de consuetudine obtinendi, præter Canonice, duos Personatus, Dignitates &c. in eadem Ecclesia.
- 276 Nullâ consuetudine, etiam immemoriali, potest induci, ut quis licitè retineat plura Beneficia, quando unum eorum sufficit ad honestam ipsius sustentationem.
- Quid dicendum de nonnullis aliis talibus consuetudinibus? Remissivè. Ibid.

Quæritur I. Utrum Papa, quibusque ex cau- 245 sis, possit dispensare in pluralitate Beneficiorum? Resp. I. Certum est, quod ex causa rationabili, & legitima, possit Papa dispensare super pluralitate Beneficiorum simul retinendorum, etiam si ea cæteroque forent incompatiblea. Textus est in c. De multa. 28. §. fin. h. t. ubi dicitur: Circa sublimitates tamen & litteratas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari. Accedit ratio: quia Papa in beneficiis plenissimam habet potestatem, plenariamque dispositionem, cap. 2. de Præbend. in 6. & Clem. si duobus. 1. §. fin. Ut licet pendente &c. eò quod Beneficia de Jure postest Ecclesiastico sint introducta, & singulæ Ecclesiæ singulis Presbyteris divitæ, can. Ecclesiæ. 13. q. 1. Unde, quia Papa secundum plenitudinem potestatis, de jure potest supra jus dispensare, c. Proposuit. 4. de Concession. Præbend. dubium non est, quin circa pluralitatem Beneficiorum, cum ratio postulaverit, dispensare valeat.

Additur notanter, cum ratio postulaverit. Licet 246 enim in illis, quæ sunt Juris positivi humani, Papa possit valdè dispensare, etiam sine causa: quia tamen dispensatio facta sine causa, non meretur dici dispensatio, sed potius dissipatio, ut inquit S. Bernardus lib. 3. de Considerat. pauld ante fin. Hinc, quando Papa dispensat Motu proprio, semper præsumitur, quod subitè justa causa dispensandi, atque ex legitima causa dispensaverit Pontifex, can. Si Papa dist. 40. ac notat Abbas c. In causis n. 2. de Sentent. & rejudicat. Felinus c. Ad aures n. 7. de Rescript. Pælicus part. 2. Praxis Episcopalis. cap. 5. art. 3. nu. 79. & alii. Secus dicendum, quando Papa dispenseret ad





instantiam partis: quia tunc subintelligeretur conditio illa: Si preces veritate nitantur, juxta textum expressum c. Ex parte. 2. de Rescriptis. ac proinde non subsistente causâ rationabiliter supplicentem allegatâ, nec subsisteret dispensatio Pontificia, veluti sub-âut obreptiâ obtenta, c. Sedes. 15. & c. Super litteris. 20. de Rescriptis. cum concordantibus. His adde dicta superius §. præced. n. 218. 219. & 220.

247 Resp. II. Causa legitima dispensandi in pluralitate Beneficiorum communiter triplex assignari solet; videlicet; necessitas Ecclesiæ, utilitas Ecclesiæ, ac evidens prærogativa meritorum. Ita Abbas in c. De multa. n. 7. h. t. & c. Extirpandæ. in Repetit. §. Qui verò. n. 34. eod. Azorius part. 2. lib. 6. cap. 12. n. 6. Layman lib. 4. Theol. Moral. tract. 2. cap. 8. nu. 2. & alii. Idemque desumitur ex can. Tali conjugio. 1. q. 7. ubi in simili habetur, quosdam Ecclesiasticis Ordinibus non esse applicandos, nisi forte eos aut maximâ Ecclesiæ utilitas, vel necessitas possulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet.

248 Et quidem Ecclesiæ necessitas quandoque postulat, ut uni plura Beneficia conferantur, si est penuria Sacerdotum, aut aliorum idoneorum ministrorum Ecclesiæ; puta, in locis hæresi infectis. Utilitas verò, quando Clericus sua prudentiâ, auctoritate seu potentia, plus communi Republicæ Christianæ bono, atque Ecclesiæ commodis profuturus videtur, quam plures alii. Tandem evidens meritorum prærogativa Beneficium, utpote doctrinâ, consiliis, scripturis, aut humilitate, de Ecclesiâ valdè meritum, promovere potest ad plurimum Beneficiorum emolumenta tum spiritualia, tum temporalia dispensative recipienda, juxta illud Apostoli r. ad Timoth. 5. Qui bene præfuit Presbyteri, duplici honore digni habeantur (id est, munerum largitione, ut interpretatur S. Hieronymus cap. 15. Math.) maximè, qui laborant in verbo, & doctrinâ. Unde & c. De multa. 28. §. fin. h. t. dicitur, quod sublimes & litterate persone majoribus sum beneficiis honoranda &c.

249 Resp. III. Nihilominus justa causa dispensandi in pluralitate Beneficiorum, ac præsertim hæc simul retinendi ultra necessariam vitæ sustentationem, non est; quod Clericus propositum habeat redditus superfluos in pias causas erogandi. Ita Azorius part. 2. lib. 6. cap. 12. quest. 3. & Layman lib. 4. tract. 2. cap. 8. nu. 2. vers. Illud verò. allegans communem, contra Cardinalem in Clem. Gratia de Rescriptis. & Navarrum cap. 25. Manual. n. 128. Ratio est: quia, ut justa subit causa dispensandi, atque retinendi pluralitatem Beneficiorum, præsertim ultra necessariam vitæ sustentationem, etiam requiritur, ut alie deformitates tollantur, vel saltem æquali utilitate publicâ cohonestentur; videlicet, subtractio alimentations respectu aliorum Clericorum, Ecclesiæ damnus ab obedientiam Beneficiorum, cultusque Divini diminutio, ac humilitati: & notat Layman loc. cit. Tales autem deformitates non tolluntur, neque cohonestantur per solum propositum dandi superflua in pias causas, nisi subit alia gravior causa, præsertim publica. Et hinc S. Carolus Borromeus ab Ecclesiâ universali pie laudatur, quod Ecclesiasticis provenit, quibus à Pio IV. avunculo suo copiosè fuerat cumulatus, spontè dimiserit: nonnullis retentis, quibus ad proprios usus, & egenorum necessitate utebatur; uti habetur in Lectionibus Breviarium Romanum, die Festo ipsius, seu quarto Novembris.

250 Quæritur II. Quomodo intelligi debeat dispensatio facta super Beneficiis, ac præsertim super pluralitate ipsorum? Resp. I. Rescripta, seu Litteræ Apostolicæ, atque dispensationes super beneficiis Ecclesiasticis obtinendis, strictè interpretari de-

beant: nec extendi ultra proprietatem verborum. Ita communis. Tum quia generaliter loquendo, istud procedit de cæteris Rescriptis ad Beneficia, per textum expressum in c. Quamvis plenissima. 4. de Præbendis. in 6. ibi: Quamvis plenissima. 4. de beneficiis interpretari faciendâ; Litteræ tamen super obtinendis Beneficiis impetratæ debent, cum sint ambitiosæ, restringi: estque ex professo dictum supra Lib. 1. Tit. 3. De Rescriptis. §. 5. n. 126. 128. & 129. Tum quia dispensatio, est vulgus juris: siquidem per eam Jus commune vulneratur, can. Ipsa pietas. 23. q. 4. Barbosa part. 2. de Officiis. & potest. Episcopi. allegat. 33. n. 7. & alii. Cum igitur omnis recessus à Jure censetur odiosus, & nequaquam trahendus ad consequentiam, juxta Reg. 28. Jur. in 6. etiam dispensationes, v. g. super Beneficiis, eorumque pluralitate, sunt odiosæ, ac strictè interpretandæ; ut cap. 1. §. fin. de Filiis Presbyter. in 6. Ubi loquendo de dispensatione facta cum illegitimo ad obtinendum Beneficium, dicitur: Quam exorbitantem à Jure oportet, veluti odiosam, restringi, cum similibus. Proinde

Resp. II. Si cum aliquo dispensatum fuerit, quod 251 non oblat defecta aliquo, v. g. Natalium, possit ad Beneficium, etiam curam habeat animarum, promoveri; non potest is, prætextu talis dispensationis, nisi unicum Beneficium obtinere. Textus est expressus in cit. cap. 1. §. fin. de Filiis Presbyter. in 6. additâ ratione proximè relatâ: Quia nimirum talis dispensatio est à Jure exorbitans, sique debet veluti odiosa restringi; ac proinde virtute ipsius, non potest quis duo beneficia in simul obtinere, prout loquitur Summarium ibid. Quinimò, ut notat Ancharanus ibid. n. 2. vers. Quæro dicitur, post Archidiaconum Barbosa part. 2. de Officiis. & potest. Episcopi. allegat. 45. n. 36. post Cardos. in Praxi Judicium. §. Dispensatio. n. 19. Pirhing tit. de Filiis Presbyter. n. 24. dispensatus à Papa, ut possit habere unum Beneficium curatum, non poterit vi talis dispensationis etiam successivè obtinere duo: aded, ut si unum fuerit consecutus, non possit eo dimisso obtinere secundum. Siquidem per adeptionem primi Beneficii curati, dispensatio jam est sortita solum effectum; ac proinde, veluti odiosa, non debet extendi ad aliud Beneficium, arg. c. non potest. 21. h. t. in 6. mox allegando; quamvis Joan. Andreas hic n. 4. asserat, istud durum valdè videri; ac proinde teneat oppositum.

Deinde dispensatio Apostolica cuiuspiam facta, ut possit duo Beneficia curata recipere, ac simul licite retinere: intelligitur solum de primis duobus Beneficiis quæ post dictum Indultum Apostolicum ipsi collata fuerunt. Textus est in c. Non potest. 21. §. Illud autem. h. t. in 6. Cujus rationem asserit Vivianus in Rationali, ibid. Quia, quamprimum taliter dispensatus recepit duo prima Beneficia, adimpleta est gratia dispensationis, arg. l. Boves. §. Hoc sermone. ff. de Verb. signif. atque ideò, cum dispensatio illa, veluti odiosa restringi debeat, non potest extendi ad alia, seu tertiâ vel quartâ vice vacatura Beneficia.

253 Alterius, si quis post obtentam à Sede Apostolica dispensationem super defectu, v. g. Natalium, & Beneficium exinde impetratum, tacito defectu ejusmodi obtineat aliam à Sede præfata dispensationem, ut duo vel plura Beneficia simul obtinere possit, non valet dispensatio; sed veluti per subreptionem obtenta, nullus penitus est momenti. Ita textus, Glossa, & DD. in cap. 2. de Filiis Presbyter. in 6. Accedit ratio: quia non est verisimile, quod Papa dispensasset in pluralitate Beneficiorum cum eo, qui patitur talem defectum, v. g. Natalium, si hoc ei fuisset expressum; prout loquitur Pontifex ibid. Unde notat Vivianus in Rationali, ad cit. c. 21. is. 2. de Filiis Presbyter. in 6. post Decium in Liberos.

Liberos. C. de Collationib. quod dispensatio addita dispensationi non valet, nisi in dispensatione secundâ fiat mentio de prima.

254 Resp. III. Si cuiuspiam per Papam provideatur de Beneficio, additâ clausulâ, Non obstante, quod aliud Beneficium obtinere noscaris, per hoc non censetur cum ipso dispensatum, ut primum Beneficium cum secundo retinere valeat; sed id solummodò clausula illa operatur, quod facta ei gratis nequeat subreptitiâ judicari. Ita rursum textus expressus in cit. c. Non potest. §. fin. h. t. in 6. Et ratio est: quia dispensationes, veluti odiosæ, atque exorbitantes à Jure communi, strictè sunt intelligendæ, atque restringendæ, ut dictum: unde cum præfata clausula modo prædicto jam solum consequatur effectum, id sufficit. Neque enim de primo Beneficio simul retinendo (contra clarum Juris dispositionem) Papa cogitasse videtur; cum in ipsâ dispensatione id non expresserit. Vivianus in Rationali. ibid.

255 Secus foret dicendum, si Pontifex in Litteris dispensationis dixisset: Liceatque tibi beneficium istud cum priori retinere. Tunc enim verba forent clara, sique juxta ea oporteret judicare; ut c. Porro. 7. de Privilegiis. & l. Licet Imperator. ff. de Legat. I. & alibi. Nam verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam. Abbas Consil. 97. lib. 1. Barbosa Axioma. 222. nu. 32. & communis; estque amplius dictum supra Lib. 1. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 16. num. 384. & 385.

256 Ampliatur istud, ut dispensatus super pluralitate Beneficiorum simul retinendorum, censetur etiam dispensatus super accessoriis, connexis, & necessariis consecutivis ex tali dispensatione; puta, super residentia, & hujusmodi. Glossa can. Si quis in Clero. 7. q. 1. §. Solemnitatis; & alia Glossa c. Quia in tantum. §. Plures. & ibi Abbas n. 3. & Fagnanus n. 23. de Præbendis. Pirhing h. t. n. 198. & alii; estque pariter dictum supra Lib. 1. Tit. 2. de Constitutionibus. §. 18. n. 451.

257 Resp. IV. Taciturnitas Beneficii præhabiti, quantumvis modici, vitat dispensationem super pluralitate Beneficiorum simul retinendorum. Textus est in c. Non potest. 21. §. h. t. in 6. Ubi Glossa §. Modicum, hujus rationem reddit: quia si in impetratione Beneficii, sive in Rescriptis ad Beneficia, istud habet locum, ut taciturnitas Beneficii præhabiti, quantumcumque modici, vitet Rescriptum impetratum ad novum Beneficium, nisi fuerit concessum Motu proprio, c. Si proponente. 42. de Rescriptis. & c. Si motu. 21. h. t. in 6. estque jam dictum supra Lib. 1. Tit. 3. De Rescriptis. §. 7. n. 167. & 170. ac seqq. Multò fortius illud in dispensatione ad plura Beneficia locum habere debet; cum etiam tales dispensationes sint ambitiosæ, ac restringendæ, c. Quamvis plenissima. 4. h. t. in 6. juncto cap. 2. de Filiis Presbyter. in 6. cum similibus.

258 Quæritur III. Utrum Episcopus possit dispensare in pluralitate Beneficiorum? Resp. I. Spectato Jure antiquo poterat Episcopus dispensare in duobus Ecclesiis curatis simul retinendis, non item in duobus Canonicatibus. Textus est in can. Sanctorum. dist. 70. ubi in Concilio Urbani II. sic statutum legitur: Omnino autem in duobus Ecclesiis aliquem titulari non liceat; sed unusquisque, in qua titularus est, in ea tantum Canonicus habeatur. Licet enim Episcopi dispositione, unus diversis præesse possit Ecclesiis; Canonici tamen Præbendarius, nisi unus Ecclesiæ, in qua conscriptus est, esse non debet. Hæc ibi.

259 Nec dicat, esse mirabile, quod concedatur Episcopis facultas dispensandi in duabus Ecclesiis, seu

Parochiis, simul retinendis, & non in duabus Præbendis; cum tamen hæc non habeant annexam curam animarum, sicut Ecclesiæ Parochiales. Resp. enim cum Abbate in c. Cum jam dudum. n. 9. h. t. istud non esse mirandum: quia dispensatio quoad diversas Ecclesias feret propter publicam utilitatem, ut nempe populus per idoneos, magisque qualificados Pastores regeretur, quando ita Episcopis videretur expediens, vel ob defectum Ministrorum omnino necessarium foret. At verò dispensatio quoad diversas Præbendas, fieret duntaxat propter privatam utilitatem: nam Præbenda datur Canonico, ut inde vivat; Ecclesiæ verò principaliter datur, ut quis populum regat.

260 Resp. II. Defectò nequit Episcopus dispensare circa plura Beneficia curam animarum habentia; neque etiam circa plures Dignitates, aut Personatus ab eodem obtinendos, etiam si curam non habeant animarum. Ita desumitur ex c. De multa. 28. junctâ Glossâ fin. & Barbosa in Collectione. ibid. nu. 22. h. t. Abbas in c. Extirpandæ. in Repetit. §. Qui verò. n. 38. eod. Azorius part. 2. lib. 6. cap. 12. quest. 6. Garcias part. 11. de Beneficiis. cap. 5. n. 237. allegans plurimos alios, & Rotam Decis. 4. De Officiis. Legati, in novis. alias 286. Alfons. Hoieda Tractatum tom. 15. tract. de Incompatibilit. Beneficiorum. part. 2. cap. 12. n. 17. Pirhing h. t. n. 185. contra nonnullos alios; ab eodem Hoieda n. 16. & Garcia n. 338. in oppositum citatos.

Ratio Conclutionis est. Quia, licet antiquitus 261 potuerint Episcopi dispensare quoad pluralitatem Ecclesiarum, seu Beneficiorum curatorum, cit. can. Sanctorum. dist. 70. nihilominus hæc potestas Episcopis adempta fuit in Concilio Generali, relato in d. c. De multa. 28. §. fin. h. t. illis verbis: Cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari. Nam, ut argumentatur Glossa fin. & Barbosa ibid. n. 22. ex eo, quod dicit, Per Sedem Apostolicam, patet à contrario sensu, quod per alios Papâ inferiores in talibus non possit dispensari: quia, quod de uno conceditur, de altero negatur, l. Maritus circa. junctâ Glossâ fin. c. de Procuratoribus. Barbosa Axioma. 196. num. 20. Sicut econtrâ, quod de uno negatur, de altero concessum intelligitur, can. Qualis. dist. 25. & c. Nonne. de Præsumption. cum concordantibus.

Unde non oblat cit. can. Sanctorum. dist. 70. 262 Nam ut notat Glossa fin. in d. c. De multa. & Abbas cit. Repetit. §. Qui verò. n. 40. propter indiscretas, & stultas Episcoporum dispensationes, virtute illius Canonis olim factas, potestas impofterum taliter dispensandi merito Episcopis subtracta fuit. Siquidem privilegium omnino meretur amittere, qui permittit sibi abutitur potestate, juxta textum expressum can. Privilegium. 11. q. 3. & can. Ubi ista. dist. 74. & c. Ut privilegia. de Privilegiis. cum similibus.

263 Confirmatur data Conclusio ex c. Ordinarii loco. 263 rum. 2. §. Si verò de Officio. Ordinar. in 6. junctâ Glossâ §. Sui beneficii, explicando inferente, quod solum Papa possit dispensare in pluribus Curatis. Accedit Concilium Tridentinum, Sess. 24. cap. 17. de Reformatione, statuens, quod insuperfluum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem, si ad vitam ejus, cui conferatur, honestè sustentandum non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens eidem conferri. Et consequenter, ponderando ly, aliud simplex, nequit habenti Beneficium curatum, per Episcopum conferri alium curatum. Neque enim Episcopus potest dispensare contra Jus commune, nisi in casibus sibi à Jure concessis, c. Dilectus. 15. junctâ Glossâ §. Permissa. de Temporibus. Ordinationum. cum similibus.

Excipitur tamen casus magnæ necessitatis, vel utilitatis, I 4